

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 136

In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit omnibus tam presentis quam futuri temporis fidelibus, quod ego Gerulfus ex ingenuis ortus parentibus cum uxore mea Berlenda similiter nobile, allodium nostrum quod habebamus in villa nostra Mormont dicta et V . . . lions sancto Petro sanctoque Remaclo in loco qui Stabulaus dicitur tradidimus una cum appenditiis suis, videlicet molendino, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, pro salute et requie filiorum nostrorum Winandi et Heriberti una die interfectorum ibidem quiescentium. Addidimus etiam familiam ejusdem allodii promiscui sexus numero XXXVIII, quorum nomina hec sunt: Ermengardis videlicet uxor Heriberti, uxores due Thiredis et Berta cum filiis et filiabus VII, Emmelinus cum uxore sua Berta et duabus filiabus, Stemburgis uxor Tiethfridi cum filiis duobus, Petrus cum sorore sua Eiburge et filio I, Holduins et Reinmudis, Imilini soror et neptis. Quicquid etiam in villa super Jairam sita Bacenges habere videbatur, hoc et allodium XV sol. solvens cum suis justiciis, pro animabus carorum filiorum nostrorum ad idem monasterium tradidimus, ut quia deerant nobis heredes temporales eternum Christum nostrum faceremus heredem. Pro nostrarum autem animarum remedio et ut locum sepulture juxta filios nostros habere mereremur, qui sepulti sunt inter portam monasterii dextrorsum in parte aquilonari, allodium nostrum Holonge cum ecclesia, domibus, silva bona, molendino, dominicatura, terris beneficiatis, et quicquid in eadem villa nostri juris erat, tam prompte quam devote sancto Petro sanctoque Remaclo in monasterio Stabulaus et fratribus ibidem Deo servientibus eterno jure possidenda tradidimus, ut ad hereditatem vite eterne in qua est pax et sine fine jocunditas cum filiis Winando et Heriberto extremum saltem electorum agmen sequentes pertingere mereamus. Hec traditio facta est legitime anno dominice incarnationis M^o. C^o. V^o, presente ejusdem loci abbate Folmaro, adstantibus quoque advocatis Heinrico et Thiebald. Testes vero hii sunt : Arnulfus frater Tyeboldi, Thiedericus et Boso de Braz, Heribertus et Cuono de Mulanz, Helfridus et Arnulfus; homines ecclesie: Robertus et Cuono de Longia castello, Francho et Alardus de Monfort, Albricus villicus et filii ejus Albricus et Ebroinus, alique quamplures. Acta sunt hec Heinrico IIII imperatore regnante, Otberto Leodiensis sedis antistite.